lacu, de quo nihil à priſcis legitur proditum ſcriptoribus. Cauſarus ab indigenis vocatur: octo pedes longus, aliquando decem. Craſſitudo, humani femoris; color leucophæus, candido tamen propior; ſquamis totus horret tam duris, tamque validè conſertis, ut aciem pugionis, & haſtilium, excludant. Caput amplum, & cranio præduro, tanquam caſſide, munitum. Hinc piſcis armati nomen illi à Gallis inditum. Et vero perpetua cum aliis piſcibus bella gerit, quorum exitio paſcitur. Pro telo roſtrum immane gerit, humani brachii longitudine, gemino dentium ordine inſtructum. Hoc venabulo non ſolum reliquos mactat piſces, verum etiam avibus, cum mutare dapes cupit, inſidiatur & illudit. Eam ob rem occultat ſe inter